



**V** Vilhelmus ex illustri familia Rogendorffiorū natus, à pueris uirtutibus operam dedit, & paulatim magnam autoritatem sibi acquisiuit. erat enim animi et corporis fortitudine insignis. Itaque Maximilianus Cæsar, qui bellum diuturnū cum Venetis gerebat, eū anno 1516 suis pedestribus copijs præfecit, & in Italiam trāsmisit. Ibi Vuilhelmus magna fortitudine per Tridentinas fauces ingressus, Ansen arcem occupauit, & Brixiam urbē obsidione liberauit. Deinde quoq; ulterius procedens primam Italiā uastauit, atq; Venetis magnum terrōre inculsit. Itaq; huius uiri uirtute factū, ut tandē Veneti cū Cæsare pacem sanxerint. Postea sub Ferdinando rege Viennæ in magna autoritate fuit, & præfecturam urbis atq; regie curiæ longo tempore cum laude administrauit. Seditionem quoq; ibidem anno 1532 à militibus ortam egregiè compescuit, & eius autores puniuit. Cum etiam Ioannes Vayuoda Turcæ beneficio Vngariæ regnū recepisset, Vuilhelmus cum exercitu Vngariam ingressus, anno 1513 Budā obsedit, & magnā Vngarię partem recuperauit. Ioanne autē rege mortuo, Ferdinandus denuo anno 1541 exercitum in Vngariam misit, atq; omnibus copijs Rogendorffum præfecit. Itaq; is iterum Budam obsedit, & procul dubio aliquid præclari effecisset, nisi Turca innumerabili exercitu eius conatui resistisset. Is enim in Vngariam properans, Ferdinandicos imparatos circumfedit, & prælio uictos castris ad Budā exiit. Eo tēpore et Vuilhelmus in suo tentorio grauius uulneratus mori statuerat. uerū eius chirurgus & cubicularius, præter eius uoluntatē, suis humeris impositum in nauiculā tulerunt, & in insulam Danubijs Comorā transeuerūt, ubi etiam in uico Samarieni uulneris senex obiit, atq; occasionem dedit, quod sequenti anno Germani proceres maximis copijs in Vngariam profecti, loca quædam à Turcis receperint, & alia præsidio communiuerint.

P. Iouius lib. 16. & 39.